14

D. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS, DE FONTANELLIS,

QUAM,

Sub Numinis Supremi Præſidio & Auſpicio,

EX AUTHORITATE ET DECRETO

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ET GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS, IN ILLUSTRI AC CELEBERRIMA ACADEMIA

WILHELMIANA,

PRO

DOCTORALIBUS in MEDICINA honoribus ac privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Publico ac ſolenni totius Senatus Academici examini ſubmittit,

JOHANNES LUDOVICUS HUXHOLTZ

Haſſo-Caſſellanus.

Ad diem Novembr.

MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M.DC.LXXIII.

SERENISSIMÆ

ATQVE PRÆCELSISSIMÆ

PRINCIPI AC DOMINÆ,

DOMINÆ

HEDWIGÆ

SOPHIÆ,

NATÆ

EX ELECTORALI

MARCHIONUM

BRANDENBURGENSIUM

STIRPE,

MAGDEBURGI, PRUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM &c.

DUCI,

HAS-

HASSIÆ
LANDGRAVIÆ,
HALBERSTADII, MINDÆ ET HERS-
FELDIÆ
PRINCIPI,
CATTIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGEN-
HAINÆ, NIDDÆ, SCHAUMBURGI,
MARCÆ AC RA-
VENSPERGÆ
COMITI,
DOMINÆ
IN RAVENSTEIN, &c.
VIDUÆ, TUTRICI AC HAS-
SIÆ RECTRICI
GLORIOSISSIMÆ,

PRINCIPI AC DOMINÆ SUÆ
CLEMENTISSIMÆ.

UT

UT ET

SERENISSIMO
AC CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
CAROLO,

HASSIÆ

LANDGRAVIO,

HERSFELDIÆ

PRINCIPI,

IN CATZENELNBOGEN, DIETZ, ZIEGENHAIN, NIDDA ET SCHAUMBURG

COMITI,

MAXIMI PRINCIPIS FILIO MAGNO ET PRINCIPATUS HÆREDI,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

In devotiſſimi animi ſignum hanc Diſputationem Inauguralem humillimè offerre & conſecrare voluit, debuit,

S. S. C. C. V. V.

Subjectiſſimus Cliens.

Q. D. B. V.

EGregia eſt *Democriti*, cujus in epiſtolâ ad Damagetum meminit *Com*, ſententia: *Totus homo ab ipſo ortu morbus eſt.* Nulla pars labis expers. Vitæ arx primaria Cor, neq; immune ipſum eſt ab hoſtilibus morborum inſultibus: imò tota œconomia corporis nunquam nō periclitatur. His autem omnibus primi noſtri parentes,(uti omni corporis perfectione inſigniti, puriſſimâq; vitæ flammulâ imprægnati,)in ſtatu innocentiæ abſoluti erant,illisq; licuiſſet,hanc ſui corporis molem, ſine ullo mortis periculo gubernare, imò ad immortalitatem perducere, niſi, ſerpentis aſtutiâ decepti, juſſum divinum [quod nunquam ſatis deplorandum] prætergreſſi, uno iſto actu & ſe & poſteros in ſempiternum ſpecioſâ illâ felicitate orbaſſent, ejusque loco plauſtra malorum attraxiſſent imprudenter: inter quæ certè non parum moleſta eſt morborum graviſſimorum caterva, quampropter plurimi mortalium mortale hoc domicilium adeò circumferunt ægrè, ut non immeritò quis dubitare poſſet, an etiam ullus hominum detur perfectè ſanus? Aſt cum poſt lapſum primorum noſtrorum parentū Juſtiſſimus ſimul ac Benigniſſimus Deus hominem pulcherrimis corporis & animæ dotibus orbatum, propriâque ſuâ culpâ, temporalibus & æternis pœnis obnoxium videret, paternâ ſuâ miſericordiâ commotus,utrisque reſtaurandis ſingularia remedia conceſſit. Priſtinam namque perfectio-

nem animæ ejusque ſalutem in Chriſto iterum conſequimur. Labilis verò & inſtabilis corporis noſtri valetudinis curam Medicis commiſit, quibus etiam varia ad morbos depellendos & ſanitatem reſtituendam, remedia ordinavit. Quemadmodum verò maxima hinc artis medicæ dignitas, utilitas & neceſſitas elucet; ità meritò eadem diligenti ſtudio & accuratâ ſolertiâ nobis cognoſcenda & tractanda venit: Siquidem *autore Galeno 1. aph. 1. non lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, coria, artis medicæ, ſicut aliarum, ſunt materia, in quibus multis modis, citra cujusquam offenſam, licet quid poſſis, experiri*: quin in corpore humano ea tentare, quæ non ſunt experientiâ probata, periculo non vacat; Cum temerariæ experientiæ finis ſit totius animantis internecio. Ob quàm equidem ſubjecti Medicinæ nobilitatem accuratiori omnium totius hujus artis & ſingularum ejus partium tractatione opus eſt: Cui cum ego hactenus bono cum Deo omnes intenderim nervos & nunc juſſu eorum quibus nil negare audeo, ad ſummos in hâc arte honores aſpirem, omnia iſta animo mecum perpendens, ex quânam potiſſimum parte materiam loco inauguralis exercitii tractandã mihi eligerem non diu dubius hæſi: Quin ſtatim me movit ab *avito patrioq; ſpiritu* ingeneratus amor ad ſtudium Chirurgiæ, [utpote ex quâ unâ non minus honoris & commodi Medicis accedit, quàm ex reliquis Medicînæ partibus ferè omnibus,] quòd effectus citos reddat & manifeſtos poſt ſe relinquat. Ex hujus itaque fertili campo præ omnibus elegi vexatiſſimam illam de FONTANELLIS materiam: quam favente cœlo ita pertractabo, ut pro tenuis ingenii modiolo *Fontanellarũ Natura* & *Vſus* ex hoc noſtro diſcurſu clara fiant. Quod arduum opus feliciter ut abſolvã:

Tu, qui à Patre Filioq; procedis,
Sparge precor donis pectora noſtra Tuis.

Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPUTATIONIS MEDICÆ INAUGURALIS DE FONTANELLIS.

SECTIO PRIMA *FONTANELLARUM NATURAM PROPONENS.*

SUBSECTIO I. *Rationem Nominis exponens.*

IN omni diſſertatione rectè & prudenter inſtituenda, ex communi philoſophorum ſententiâ, initium ſumi debet ab explicatione Nominis, quo res illa ſignificatur circa quam diſſertatio occupatur. *Sunt enim Nomina nihil aliud, quam ſigna rerum, in hunc finem iis indita, ut nobis res ipſas notificent & declarent.* Ideoque ſicut notitia ſignati pendet à notitia ſigni; ita rerum intelligentia pendet â verborum intelligentia. Et ſicut ignoratis ſignis ignorantur ſignata: ità ignoratis verbis neceſſe eſt ipſas res quoq; ignorari. Proinde non abs re fore arbitror, ſi in veſtibulo hujus diſſertationis inauguralis ante omnia ipſum Nomen explicatur.

Dicitur autem FONTANELLA, nomine quidem Medicis Latinis uſitato & ſatis cognito, fori verò minimè Latini, ſed originis Italicæ: quam eandem rem Latini exprimunt vocabulo FONTICULI; FONTICULUS autem dicitur quaſi parvus fons, quòd fontis inſtar ſcaturiat, & ex eo, quicquid vitioſi humoris in partibus cumulatum fuerit, evacuetur: quemadmodum & ipſæ feriæ fontibus dicatæ Feſto FONTINALIA dicuntur, ex eodem derivationis fonte. Quâ verò ratione CAUTERIUM dicatur idem quod aliâs FONTANELLA: quòd facit *Solenander Conſil. Medicin. ſect.2. conſil.13. interrog. 14.* inquiens: *Cauterium, quod Fontanellam vocant, probo & laudo*: id clarè explicat *Michaël Gavaſſetius de natura cauterii cap. 3.* his verbis: *Ut autem cauterii naturam cognoſcamus videndum eſt, quid nomine cauterii ſit intelligendum. Atque ne in iis, quæ ad finem artis parum aut nihil conducunt, tempus conteramus : Sciendum eſt, nos per Cauterium intelligere non inſtrumentum aut materiam aliquam cauſticam, quâ partes aduruntur, quemadmodum paſſim & proprie*

uſurpari ſolet à Galeno, & præſertim 6.ſimpl.cap.de ſero lactis & 5.per loca cap.2.nec non pleriſq; aliis in locis; Sed impropriè cauterium uſurpamus pro veſtigio & impreſſione, quæ in parte aduſta relinquitur, hoc eſt, pro ulcuſculo illo ſeu conſumptione partis ſubjectæ, quæ tanquam effectus ſubſequitur. Nos tropicæ huic appellationi, quæ Metonymiam efficientis pro effecto infert, propriam anteferimus, de quâ ante.

SUBSECTIO II.

Definitionem tradens.

NOminalibus hiſce præmiſſis, ut res ipſa methodicè tractetur, definitio proximè ſubjungenda eſt; ut, quidnam ſit illud de quo diſputamus, innoteſcat: cùm aliâs rectè, qui, definitione omiſsâ, de rebus diſſerunt, cymmeriis in tenebris palpare & cùm cæcis de colore judicare dicuntur.

Definitur autem ab aliis aliter, nobis impræſentiarum arridet illa, quam *Celeberrimus Sennertus Inſtit. lib.5.part.1.ſect.2.cap.9.* adfert, definitio: *Fontanellæ ſeu Fonticuli ſunt parva ulcera arte inducta in parte ſana ferro ignito, vel medicamento cauſtico, ad vitioſos humores per ea evacuandos, revellendos, derivandos, atq; ita morbos qui ab iis pendent curandos vel præcavendos.* Quæ definitio reapſe non differt ab illâ, quam habet *Hieronym.Fabrit.ab Aquap. de operat.Chirurg.part.1.c.95.* FONTICULI ſeu FONTANELLÆ ſunt parva ulcera dedita opera facta, ad morbos, qui infeſtant aut infecturi ſunt, tum curandos tum præſervandos: id quod præſtant tum evacuatione, tum revulſione, tum derivatione humorum, qui in corpore ſupervacui ſunt.

Videtur tamen iſta *Sennerti* clarius indigitare & modum & medium inductionis horum ulcerum: de quibus cum brevior eſſe ſtuduit, *Clariſſimus Mœbius in Epit. Inſtit. Med. lib.5.p.2.ſect.1.cap.9.* obſcurior ſimul fortè factus videri poſſet: quod tamen nos manifeſtò aſſerere de Viro Magno non audemus; quin potius ad dilucidationem ejus, quam nobis placere diximus, properamus.

GENUS itaque FONTANELLARUM conſtituitur ULCUS; idque ex communi Medicorum ſententia, quæ, ſi ſolâ *Galeni* authoritate ſtare liceret, facillimè ſalvari poſſet, per illius verba quæ *de differ. Morb. c.11.* adfert, inquiens; *Solutio continui in oſſe fra-*

fractura, in carne communiter ulcus nominatur. Aſt quis vel primis labris fonte pegaſino imbutus neſcit valdè generaliter hîc ſumi vocabulum ulceris, ut etiam quodvis vulnerum genus ſub ſe comprehendat, quod tamen planè diverſam ab illo habere cauſam omnium Medicorum unanimis conſenſus probat. Propria itaque ulceris definitio in teſtimonium hûc eſt adducenda, quæ, teſte *Sennerto* & aliis ſemper ulceris cauſam infert eroſionem, quæ eadem in fontanella locum habet, ſi vel maximè cauterio potentiali ea inducatur. Quod ſi verò curioſiùs *Hieronym. Fabric. ab Aquap. ulceris definitionem quam oper. chirurg. part. 2. lib. 3. c. 1. his verbis adfert*: ULCUS eſt ſolutio continuitatis ab internâ causâ ex eroſione proveniens; adducamus, vix genus illud quadrabit: Quin rectius per *vulnus* definiendus FONTICULUS videri poſſet; Quòd *vulnus* ſit ſolutio continui ab externo aliquo inſtrumento in parte molli inflicta, uti habet idem *Aquap. p. 2. l. 2. c. 1. Tagaulth. lib. 2. chirurg. c. 1. Peceet. lib. 2. c. 1. & Paræus lib. 8. c. 1.* Sic & *Magatus lib. 1. de rar. vuln. deligat. c. 7.* addit in definitione *vulneris evidentiam*, ità ut neceſſariò evidens ſit, i.e. ſtatim oculis ſubjiciatur. Quæ omnia ad unguem convenire videntur Fontanellæ, cùm è contra vel ipſa *Galeni* definitio ulceris quã habet *lib. 3. meth. c. 4. & l. 4. meth. c. 1.* quâ ulcus eſt ſolutio continui ab internâ causâ à materiâ erodente proveniens: allatum iſtud genus ulceris ſuſpectum reddat.

Verum enim verò cùm Medicinam noſtram maximam partem à Græcis habeamus, illis autem teſte *Galeno c. 6. de conſtit. art.* τραῦμα, *vulnus*, & ἕλκος *ulcus* conveniant in eo, quòd uterque morbus ſit ſolutio unitatis & in parte tantum fiat molli; differunt autem in eo quod vulnus cædendo, ulcus verò erodendo inducatur. Quilibet facilè viderit cur FONTANELLAM ulcus dicat communis ſententia, cui & nos inhæremus eò libentiùs quod illos qui ab ea recedunt, variis illaqueari difficultatibus videamus. Quanquam nec hoc diſſimulare hic audeamus, quod multa ſint accidentia, in quibus cum *vulnere*, multa etiam in quibus cum *ulcere* convenit FONTICULUS; uti ex iis quæ nobis adhuc dicenda reſtant patebit clariùs: quare etiam nemo prudens ſuccenſere poterit *acutiſſimo Bremenſium Machaoni* KOZACK, quod in fragmento ſpagyrio, ubi de FONTANELLIS; *modò* vulnus ab arte corpori inflictum, *modò* ulcus cutis arte

 factum

ſactum ex intentione bonâ *cum* Medici, *tum* patientis, FONTANELLAM vocat. Et ipſe tamē in definitione pro genere conſtituit ULCUS.

Sed jam ad *conceptum differentialem* ut deveniamus, is equidem non unus eſt ſed varius à *quantitate, ſubjecto* & *cauſis*, cùm efficiente principali ac inſtrumentali, tùm finali procedens; uti collationem inter FONTANELLÆ & aliorum ulcerum definitionem inſtituenti pateſcet ad oculum. Quæ etiam nos nunc per partes imus demonſtratum.

SUBSECTIO III.

Tempus inducendarum Fontanellarum, cum univerſale, tum particulare, notans.

SI ullibi verum eſt, quod vulgò in proverbio dici ſolet: INSERVIENDUM TEMPORI; tum vel maximè in medicæ artis exercitatione, & præprimis in operationibus chirurgicis id obtinet. Ὁ γὰρ καιρὸς ὀξὺς, inquit *dictator* noſter 1. *aph. lib.* 1. ad quæ verba ſcitè addit fidiſſimus illius interpres *Hollerius*: In exhibendis tempeſtivè remediis totam vim eſſe curationis. Et ob id *occaſio dicitur curationis anima*.

Ne autem heic præter inſtituti rationem divagemur latiùs; dicimus & ſtatuimus cum magnis Medicis quòd TEMPUS fonticulos parandi ſummè ſit obſervandum.

Eſt autem TEMPUS vel *univerſale* vel *particulare*: illudque dicitur vel reſpectu *Anni*, vel reſpectu *Morbi*, vel etiam ipſius *Ægri*.

Reſpectu *Anni* Tempora univerſalia ſunt vulgò nota: *Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems*, Particularia, *menſes, dies, horæ*.

Reſpectu *Morbi*, Tempus univerſale eſt *totus morbi decurſus*; particularia ſunt, *principium, Augmentum, ſtatus* & *declinatio*.

Reſpectu *Ægri*, univerſale eſt *totum vitæ ſpatium*; particulare *ætates ſex*; *Infantia, pueritia, adoleſcentia, juventus, ætas conſiſtens* atque *ſenectus*.

Quæ dicta ut applicemus ad rem præſentem: Ratione anni temporum, *Ver maximè omnium aptum eſt inurendo fonticulo*, quòd tunc ab ipsâ naturâ humores fundantur, viæque dilatentur. Quin & eligatur *dies ſerena* ad hanc operationem & *tempus matutinum*, & quidem

lunâ

lunâ creſcente, quod tum vires vel maximè vigeant quæ heic requiruntur maximè. Inde enim eſt quòd *Temperamentum calidum & humidum*, quod præ aliis eſt vigoroſum; *Habitus corporis plenior*, & *Ætas florida* hoc remedii genus admittat præ aliis; puerilis verò ad id non videtur apta, quia pueri tenelli & ſenes decrepiti propter virium imbecillitatem non facilè tolerant magnum remedium, quale eſt fonticulus.

Sic & *ſexus ratione*, fœminina mollities plerumque averſatur fonticulos: quanquam neceſſitas ſæpè frangat legem commoditatis.

Præter hæc etiam non excitantur fonticuli niſi *gravis morbus* urgeat, & quidem ita ut non aliud remedium ſuperſit. Siquidem *tum demum fonticuli ſunt ponendi, quando mitiora nihil profecerunt*. Eſt enim uſtio inter extrema præſidia, unde ſecundùm *Hippocratem 7. aph. ult.* Quæcunque non ſanat medicamentum, ea ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea incurabilia putari oportet. Cùm *autore Gvidone tract. 7. cap. 3.* Ignis ſit ultimum medicinæ inſtrumentum, non ultimitate finis ſeu terminationis, ſed ordinis: unde ſimul evidens fit, quod *poſt diætam, pharmaciam & phlebotomiam demum fieri debeat Fonticulus*. Eſt enim corporis per purgationem & Venæ ſectionem præparatio adeò neceſſaria, ut *Hippocrates* nusquam faciat cauterii mentionem quin expreſſis verbis moneat, ut prius pharmacum exhibeatur. Denique morbi ſi adſunt, (utplurimum enim fit præſervationis gratiâ, uti videbimus infra) notetur, cùm ſolùm in morbis diuturnis locum habeant fontanellæ, non verò in acutis, qui ſubitas evacuationes requirunt. Id verò quod quotidie per fontanellas evacuatur, exiguum eſt, quòd ultrò ſequi videatur *morbi tempus huic remedio aptum eſſe principium* potiùs quàm aliud ullum. Hæc de tempore.

SUBSECTIO IV.

Fontanellarum Locum indicans.

Circumſtantiam *Temporis* ſequitur circumſtantia *Loci*. Quemadmodum in Categoriarum ſerie poſt *Quando* ſequitur *Ubi*. Jubet itaque & nos tractationis ordo *Locum*, ubi excitandi ſunt in corpore humano Fonticuli, determinare. Aſt id non adeò eſt facile, uti id eſſe, videri poſſet, ob diſcrepantes hac in parte, quibus circumſcri-

bimur, Authorum ſententias: quas quidem nunc adducere & penſitare exactius inſtituti noſtri ratio non permittit. Sufficiat itaque nobis quòd omnes ferè conveniant in eo, ut fonticulos frequentius excitare jubeant in *occipitio, ſuturâ coronali, brachiis* & *cruribus*: quæ loca ſpeciatim notat *Clariſſ. Sennert. Inſtit. Med. lib. 5. p. 1. ſect. 2. c. 9.* atque in ea re ſecutum ſe Chirurgorum noſtro ſeculo facile principem *Hieron. Fabric. ab Aquap.* in eruditiſſimo ſuo tractatu de operat. chirurg. cap. de fonticulis, fatetur ipſe *paralipomen. ad inſtit.* 18. Sic in *ſcroto* quoque commodè fonticulum excitari, cum dirus hydrops propenſum ſeſquipede exſtantem oſtendit aqualiculum, cenſent alii. *Expertiſſimus Gavaſſetius de Naturâ cauterii cap.* 19. multo plura fontanellis deſtinat loca, dum dicit: *ubi fonticuli ſint excitandi, docebit exiſtentia continuitatis ea ratione, quâ impedit exitum opportunum materiæ evacuandæ; quare per quaſcunque partes materia ſui copia vel etiam qualitate peccans evacuationem deſiderabit, in iiſdem fonticuli erunt excitandi.* Aſt perpulchre addit ipſe, *dummodo nihil obſit quod impediat.* Nos ſalvo tantorum virorum judicio, exiſtimamus, non debere adeò faciles eſſe Medicos in excitandis fonticulis, quod partes nervoſæ, membranoſæ & per quas majora tranſeunt vaſa, non ſine maximo periculo, imo ſæpè cum ægri interitu ferrum & ignem admitttant.

Adeoque *Loca* præprimis eligenda eſſe maximè tuta, qualia ſunt illa, quæ à partibus nervoſis longius diſtant: cumque ſimul commoditati ſtudere debeamus, quòd fonticuli diligenti cura indigeant, & quotidiè manè & veſperi detegendi ſint, inde eſt quod in eo maximè loco fieri debeant, quò ipſe æger manibus & oculis pertingere poſſit; quæ ipſa quoque ratio nobis eſt, quòd *non alibi quàm in brachio & cruribus plerumq; parari fonticuli ſoleant*: quibus itaque & nos nunc acquieſcimus eò lubentiùs quòd per ſanguinis & ſpirituum circulum, noviſſimè naturæ & arti redditum à partibus quibuscunque, ſuperis, inferis, per hæc loca evacuatio ſuperflui ſuccedere poſſit. Quin imò illa quæ in occipitio vel circa ſuturas aliaque loca fit inuſtio, propriéne fontanella dici queat? dubitari poſſet ex eo, quòd de natura fontenellarum eſſe videatur ut earum conſolidatio differatur longius, & quod ſi à natura accelerari obſervetur, ab arte tamen perfici impediatur, id quod de illis ſtatui commodè nequit. Accedit & hoc quod per emiſ-

emiſſaria circa ſuturas excitata præcipuè vaporum è toto corpore ad cerebrum aſcendentium exhalatio intendatur: teſte immortali *Rolfinck. Meth. Medic. ſpecial. comm. lib. 4. ſect. 6. part. alter. c. 4.* quæ tamen rectiùs frictione forti & aliis mediis mitioribus promovetur. Taceo nunc, quòd *ſuccedaneum iſtorum cauteriorum* poſſit eſſe in humidâ & frigidâ cerebri conſtitutione, *cochleare argenteum carbonibus ignitis repletū, ad ductum ſuturæ coronalis & ſagittalis, chartâ bibulâ ſubſtratâ hûc illûc trahendum,* ut habet *Id. Ib.* unde manet illud, quod in brachiis & cruribus commodiſſimus fontanellæ locus ſit. Quin & in articulis excitati fonticuli plurimum ſeroſi humoris ex ambitu corporis educunt: quoniam in continuo ferè motu ſunt manus & pedes: atque inde etiam fit quod citius fluere incipiant fonticuli his in locis poſiti, quàm qui in locis quieſcentibus ſunt excitati.

Quod ſi jam *locum magis determinatum ac particularem* quæras, & ſermo ſit de *brachio*, locus eſt eligendus quatuor transverſorum digitorum ſupra cubitum, ubi interſtitium muſculi *deltoidis & bicipitis* qui cubitum flectit. Ut verò chirurgus locum illum eò melius inveniat, præſcribit *Clariſſimus Scultellus*, ut vario modo, cubitum patientis volvat, flectat & extendat, usque dum debitam muſculi *deltoidis & bicipitis* ſeparationem inveniat.

Quod ſi verò ſermo ſit de *cruribus*, quatuor digitorum ſpatio *ſupra vel infra genu* verus erit locus, qui, ſi *ſupra genu* ſit fonticulus ponendus, ex genuum, ſi *infra*, ex pedis flexione & extenſione exploratur.

Utrum autem è re ſit magis, *brachio an pedi inuratur fonticulus, ſupra an infra genu, interiori an exteriori parti?* id omne determinat *Kozack de Fontanellis ſect. 2.* ex diverſitate ſtatus eorum quibus inurendi ſunt fonticuli, inquiens: *Qui, equitando victum quærunt, illis intra crus applicatum cauterium valde moleſtum erit; igitur extra applicari oportebit. Qui autem ſedentariam vitam agunt, manuali labore occupati, illis conducet non in brachio, ſed crure cauterium apponi.* Ego, (inquit porrò) rationibus in ſpagyria redditis, nullibi utiliorem fonticulum & tutiorem eſſe, quàm in cruris exteriori & interiori parte demonſtravi. Hæc Kozack; quibus accedit ad ſententiam *Galeni*, qui *in libro de natura hominis*, fonticulum inurendum præcipit in parte potiùs interiori quàm exteriori, dummodo ſervetur progreſſus

venarum; quoniam locus ille commodior eſſe videtur, cùm pars interior ab injuriis eorum quæ forinſecus accidere poſſunt, ſit magis tuta, & in motu brachiorum minus patiatur. Sic & in crure rectius parari fonticulũ in interna parte, ſtatuit *Hieron. Fabric. ab Aquap.* quòd pars externa non habeat vicinas venas, interna verò habeat ſaphænam, & præterea interna pars non habeat latum tendinem quem vitare oportet; quibus inſuper in mulieribus uteri accedit ſitus. *Gavaſſetius l.c.* partem infra genu potiùs quàm ſupra illud eligit, quòd in ea parte ligaturæ commodius fieri poſſint, & cùm cauteria facilè deſcendant, ſi in parte ſuperiori excitarentur, ad articulum maximo cum incommodo appropinquarent, addit præterea: partem ejuſdem cruris in hominibus exteriorem potius equitandi gratia, quam interiorẽ adamarem, in mulieribus verò & præſertim iis, quæ aut diminutas aut ſuppreſſos habeant menſes, interiorem potiùs eligerem; nam præterquam quod ratio venarum haberetur, minori etiam cum incommodo hujusmodi cauteria ſuſtinerent, & nullo commodius ſi viro carerent. Hæc ille. Nos hæc omnia ad intentionem Medici ſpectare cenſemus & partem affectam, in qua equidem ad evacuandum, vel in contraria aut vicina ad revellendum, & derivandum, fonticuli excitantur. Sed de his pluribus infra ubi de Uſu.

SUBSECTIO V.

Modum Fonticulos inducendi docens.

INvento itaque fonticuli *Loco*, *Modus* eum inducendi erit tradendus proximè; non quidem ille quem *Naturalem* vocare lubet: quo nempe natura ipſa, ut nocentium ſibi humorum evacuationem moliatur, difficillimæ curationis ulcera, perpetuò manantia producit, quæ FONTANELLÆ NATURALES vulgo Medicorum dici ſolent; & ſæpè cum inſigni levamine ægri per longa tempora ſervantur apertæ; ſed ARTIFICIALIS, quem NATURALI proferimus, quòd ille ſuâ ſponte iterum conſolidetur, abſente impedimento artificiali: ut alia nunc plura quæ illum inſequuntur incommoda periculaque taceam.

Paratur autem FONTICULUS IGNE aut FERRO; ſeu clarius CAUTERIO aut INCISIONE. Ita enim variè ars ſævit in corpus humanum, ut ſtatum ejus moleſtum & ægrum in voluptuoſum & ſalubrem immutatum nec ferro parcat nec igni.

CAU-

CAUTERIUM itaque quod attinet, definitur illud, quòd ſit medicamentum, quod adurendi corpus cruſtamq; excitandi vim habet.

Eſtque duplex, unum ACTUALE, quod actu ignem igneamque qualitatem habet & ferro candente vulgò perficitur. Alterum POTENTIALE, quod per medicamenta πυρωτικὰ atq; urentia; Quæ cauteriorum diverſitas inventa eſt ab antiquis, ob ægrorum impatientiã, qui ſæpè aliquid aliud, etiam igne pejus, libentiùs perpeti, quàm ignem ſenſibilem ſeu cauterium actuale ferre voluerunt, ideò in horum gratiam CAUTERII POTENTIALIS ſeu CORROSIVORUM inventus eſt Uſus, qui hodie dum adeo invaluit, ut iis ſolis utamur in excitandis fonticulis; unde *incomparabilis Hoffmannus Meth. med. lib.* I. *cap.* 20. indifferenter Cauterii potentialis nomen pro ipſo Fonticulo adfert; aliisq, definitur CAUTERIUM, *quod ſit uſtio vel exulceratio cutis facta medicamento Corroſivo vim ignis æmulante.*

Olim tamen FERRUM IGNITUM hujus Chirurgiæ inventoribus magis uſitatum fuit, & CAUSTICA POTENTIALIA non probarunt, utpote quæ tardè, & ut plurimum cum dolore magno operantur; Nec ita ſecurè adhibentur, quoniam eorum agendi vis non eſt nobis ita cognita, unde interdum præter expectationem noſtram accidit, ut efficaciora nobis viſa, non rarò impotentiora inveniantur. Quod ſi tamen iis uti velimus, *Locus*, ubi adſunt capilli prius radendus, &, ne latius diffluant quam Chirurgus intendit, rubricâ vel ceruſsâ notari, annuloque vel plumbeo ſecundum *Scultetum*, vel cereo muniri debet. In medio ejus, particula cauterii magnitudine piſi ingeratur ut cutem tangat: atque ita Cauterio applicato, aliud emplaſtrum imponendum, quod cauterium admotum firmet & retineat, faſciisque membrum obvolvendum. Deinde poſt duas, tresve horas, prout medicamenti vis eſt, & citiùs, & tardius agit, (nonnunquam enim fit ut in quartum diem differatur ſucceſſus) omnia removeantur & eſchara apparebit: cui ut monet *Hieron. Fabr. ab Aquap.* non butyrum apponatur, (prout ſolet fieri, ſi fonticulus excitatur cauſtico potentiali,) ne ſub cruſtâ putredo excitetur; ſed ſolùm *diapalma* cum vino ſufficere hîc poterit.

Fiunt autem POTENTIALIA CAUTERIA ex medicamentis cauſticis, calore ſummo & ſubſtantiâ craſsâ præditis. Qualia ſunt, Calx viva, æs, alumen uſtum, ☿ &c. Fiuntq; variæ exinde formulæ, e. gr. lapides

pides, olea, ſpiritus & lixivia: In ſpecie probantur, lapis ſepticus & Cauterium potentiale *Auguſt*. Lapis ruptorius *Fernelii lib*.6. *M.M.c*.19. qui in dimidiâ horâ cutim penetrat. Sericum & pulvis ſive Angelic. *Paraei*, qui habetur *lib*. 1. *de compoſ. med.c*.32. Cauterium *Heurnii* decantatiſſimum, Cauterium *Caſſerii* &c. *Sennertus* vix aliud commodius dari cenſet, quàm illud, quod è lixivio è quo ſapo coquitur paratur. Præprimis à *Platero* laudatur in *Obſervat*. Cauſticum quod indolens vocat: attamen planè indolens non eſt: & quanquam glorientur multi de cauſticis indolentibus, quibus admiſcent opium vel ſimilia ſtupefacientia, quæ etiam aliquatenus obtundunt vim arrodentis medicamenti, cùm tamen ſimul maximè etiam remoretur operatio, non omnibus probantur.

ACTUALIA CAUTERIA non ſunt uniuſmodi, quia differunt imprimis ratione MATERIÆ & FIGURÆ. Ratione FIGURÆ tanta eſt varietas, ut definiri nequeat, multo minus ſcribi. Vulgatiores tamen depinxit *Ambroſ. Paraeus lib*. 18. *c*. 27. *p*. 553. *Ioh. Andr. à Cruce*. & *Ioh. Scultetus*, *in Armament. Chirurgico* ad quos B. L. remittimus.

MATERIAM quod attinet, antiqui variis corporibus uſi ſunt, ut radicibus, lignis incenſis, butyro &c. Metallica hodie magis in uſum medicum veniunt, utpote ex ferro, auro & argento parata, inter quæ ferrum potentiſſimè urit; minus vehementer æs & aurum. Interim tamen experientia *Chariſſimum meum præmaturè aſt piè defunctum Patrem* docuit, *globulos ligneos ex ligno duriſſimo paratos, & in ſpir. Nitri optimè rectificato maceratos per octiduum, cumq; emplaſtro convenienti applicatos l.a. ſpatio 24. horarum fonticulum excitare, inſtar optimi cauterii*.

FERRUM CANDENS & IGNITUM ſi applicetur, quædam præcavenda, quæ aliàs homini moleſtiâ creant, CALOR ſc. nimius, DOLOR, & ex ignis aſpectu HORROR.

Quod ad CALOREM attinet, ubi locus inurendus vim ignis abſq; periculo ſuſtinere poteſt, & nervis ac vaſis inſignibus caret, uti licet cauterio ſatis ignito: in partibus verò ſtructura tenuibus, ignavo, uti appellat *Paul. lib*. 6. *c*. 58. & non multum ignito.

Ne DOLOREM excitet chirurgus ingentem, ferrum candens citò & non tremulâ manu applicetur oportet; nec profundè intrudi debet, ſed paululum ſupra Epidermidem: Et proinde nunc lenius, nunc

nunc fortius imprimendum. Lenius in ætate tenerâ, corpore molli, item brachio. Fortius in adultis, corpore duriore, item in cruribus.

Quia autem plurimi ſibi ab igne metuunt & veteres viderunt, quòd ferrum candens non ſolum carnem à Chirurgo ſignatam inurat, ſed etiam partes vicinas, ideò aliud excogitarunt præter vulgaria inſtrumenta, quod partes vicinas defendat, & tale cauterium in pixide convenientę incluſum continetur, ſicque *horror & timor* ignis tollitur & cauterium vix ægro animadvertente applicari poteſt. Tale depinxit *Experient. Scultetus Armam. Chirurg. tab.*1. *p.*2. & 43. *p.*174. *Paræus lib.* 18. *p.* 556.

Parato hoc aut ſimili modo fonticulo, *Eſchara* ſeu aduſta cutis pars, non ſtatim vi eſt auferenda, ſed convenienter tractanda iis, quæ putrefactionem & maturationem juvant, donec conveniens foramen ſit conformatum & Eſchara à cute ſeparata, quod utplurimum intra triduum vel quatriduum fieri ſolet. Poſt caſum eſcharæ *piſum* (vel, quod *Sennerto in paralip.* magis placet, *globulus cereus*; quod cera præ aliis partem ad fluxum diſponat) inditur foramini paulo butyro, oleo vel adipe illitum: quod, ne profundius labatur, trajicitur filo, ut extrahi poſſit: atque illud piſum bis in die mutari & fonticulus mundari debet. Piſo huic *folium Hederæ* (quod peculiarem vim aquam ad ſe attrahēdi obtinet: unde & *Cato, de re ruſtica cap.* 3. ſcribit: Si voles ſcire in vinum aqua addita ſit, nec ne, vaſculū facito de materia hederacea. vinum id quod putabis aquam habere, eodem mittito, ſi habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit.) aut in ejus defectu lactucæ, vel plantaginis, vel braſſicæ in medio perforatum, huic iterum aliud integrum; & denique pulvillus ex linteo complicatus, cum bibula charta una aut gemina ſuperimponitur.

Ultimò *faſcia* vel *Lamina*, quæ omnia ſuperimpoſita comprehendere, ſuoq; loco ſervare & tam arctè prout placet conſtringere poteſt. Harum autem genera ſunt varia tum in brachio tum in femore ligandis commodiſſima, quas faſcias delineatas habet *Scultetus*.

Tandem Ferrum Secans ſive Scalpellum quod attinet, & hoc excitantur fonticuli, & quidem *inciſione*, quam tamen operationem plurimi Chirurgi non approbant, propter rationes multas, tum quia ſectio fonticuli ſanguinem profundat, quem plures videre nequeant, tum etiam, quia magis Dolorem percipiant patientes ab hoc

fonticulorum genere quam ab alio. Interim tamen multi cùm ſint, qui ab igne ac medicamentis cauſticis abhorrent, ſi fonticulus illis neceſſarius ſit, hoc modo fieri debet; nempe, cutis in loco idoneo apprehenditur & arctè conſtringitur, eodem modo, ut tum ſetaceum in cervice ponendum eſt, & poſtea ſcalpello inciditur. Hoc facto, vulneri recenti ſtatim piſum imponatur, ſuperimpoſito Emplaſtro convenienti, ut ejus vi, cornua vulneris conſolidentur in medio foramine relicto: Quia autem cornua carne repleta fuerint, tum foramen ſicuti in alio fonticulo tractandum erit.

Quia autem, uti pluribus antea diximus, nec ferro ſecante, nec CAUTERIO POTENTIALI abſque incommoditate & periculo fonticuli excitari poſſunt, ACTUALE verò citò & tutò adhibetur, ideo illud cæteris ſemper eſt præferendum.

SECTIO SECUNDA.

Fontanellarum Uſum & finem inferens.

PErſpecta nunc deſcriptione & inductione fonticulorum, videamus etiam *cujus gratia* & *ad quid* in corpore humano excitentur; Nempe fit hoc ad vitioſos & noxios humores, qui aut omnino non, aut non ſine incommodo per alia emunctoria expelli poſſunt, ſuaque quantitate & qualitate membra patientis gravant, evacuandos, revellendos, derivandos & nonnunquam intercipiendos.

In ſpecie inuruntur BRACHIIS ad humeros revellendos, qui à capite ad partes ſubjectas deſcendunt ſive ad fauces, ſive pulmones; in CRURIBUS ad humores ex hepate, liene, utero, revellendos & derivandos.

Ratione MORBORUM apponuntur in multis exitioſiſſimis morbis, in quibus Medici hoc efficaciſſimo præſidio Cauteriorum vitioſorum humorum motum corrigunt. Sic, in ESSENTIALI quam in SYMPATHICA EPILEPSIA aut VERTIGINE locum habent, teſte *Lazar. River. c.2. obſ.93.* In reſolutione & aliis affectibus convulſoriis ſummopere etiam juvant, vid. *Zacut. Luſit. de M. Ph.* 20. *lib.*1. *obſ.* 16. Sic & in *Epilepſia idem lib.* 1. *prax. admir. obſerv.* 32. In *oculorum affectibus*, *narium*, *linguæ*, *gingivarum*, *palati*, *oris* morbis in veteratis

præ-

præſentaneum exhibent auxilium. In *Phtiſi* ne ulcus amplius ſordeſcat, fontanellas brachiis affigere optimum eſt conſilium. *Capivac. in prax. de Phthiſi. Mercur. lib. 2. prax 7. Fracaſt. lib. 3. de curat. morb. contag. cap. 8.* In LIENIS morbis teſte Experientiâ, ſummum etiam adferunt levamen in lævo crure affixæ; ex quorum numero ſunt MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, MANIA, SCIRRHUS &c. In DOLORE COLICO utitur *Foreſtus* cauterio, tam in curando quàm in præſervando *Obſerv.* 14. *in Schol lib.* 21. Utiliter etiam apponuntur ad ſiſtendam HÆMORRHAGIAM, ad exedendam, exterendamque ULCERUM & GANGLII carnem ſuperfluam, ad terendos ULCERUM margines calloſos & alia quæ longum ſit commemorare, teſte *Paræo lib. 25. de med. facult. & comp. cap. 32. p. 800.* In PUSTULIS ULCEROSIS in FACIE, etiam *Zacut. Luſit. lib. 1. de M. Ph.* 20. *obſ.* 17. fonticulum in crure apertum commendat. *Helmontius* in ASTHMATE & TUSSI, cauteria aut fonticulos juvare ſcribit, eò quòd cruoris maſſam minuant. *Vid. & Grembs. lib. 2. c. 1. §. 9. De Pulm. defect. in Arbor. 1. & R. hominis.* In GANGRÆNA & SPHACELO magno cum juvamine cauteria tam actualia quam potentialia applicari poſſunt, quanquam, uti dictum eſt ante, tutior & citior actualium ſit adminiſtratio, utpote quæ putredinem inhibet, partem affectam roborat, reſolvit & abſorbet, quod maſſæ corruptæ adeſt. In HYDROPE, PODAGRA, SCABIE. ELEPHANTIASI &c. maximi etiam eſt uſus. Et vix eſt morbus, in quo ſi non ACTUALE tamen POTENTIALE CAUTERIUM non poſſit adhiberi.

Et nemo negabit Fonticulos ſymptomata plurima valde mitigare. Interea tamen ſuas habent quoque *incommoditates*, quibus præveniendum erit. Nam quandoque à *carne excreſcente* obdurantur, quæ alumine uſto, Mercurio præcipitato, vel alio ſimili modo auferenda eſt. Nonnunquam *ſicci* fiunt, ita ut purgantibus medicamentis fluxus eorum irritari debeat; interdum *clauduntur* ex negligentia patientis aut Chirurgi, ita ut dilatare neceſſe ſit.

Propter quas & alias moleſtias Medicus & Chirurgus ſint cauti, ne ægri in ea incommoda devolvantur, quæ diligenti obſervatione & juſta applicatione leviſſimorum remediorum præcaveri poſſunt.

Sed

Sed hæc de FONTANELLIS brevi admodum & levi Minervâ propoſita ſufficiant.

Tibi autem Deo Optimo Maximo omnium Medicorum Doctori & ægrorum Medico, labiorum victimas, laudes nempe offero ex intimis cordis penetralibus, quòd conatui favere & gratia Tua adeſſe volueris.

TIBI
SIT HONOR, LAUS ET GLORIA AMEN.

COROLLARIA.

NOn rectè faciunt qui ſe Medicinæ & Chirurgiæ Doctores appellant.

Puer podagra non laborat ante veneris exercitium ſecundum Hippocratem, (præſuppoſito tamen hoc niſi ſit hereditarium).

Senibus copiosè ſanguis non eſt detrahendus.

Delectus venarum nullius eſt uſus.

Melior de die quam de noctu ſit concoctio in ventriculo.

Clyſteres nullo modo nutrire poſſunt.

Statim à cibo balneum inſtituere ſummè eſt noxium.

Vomitus vomitu curatur, ſi vires ferant.

Purgantia fortiora Infantibus & ſenibus non ſunt adhibenda.